

95. Proverb. 8. n. 34. dicitur: Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, potius videbatur dicendum, Beatus homo, qui fortiter pugnat, & decertat cum inimico; nam Beatitudinis corona non datur, nisi exacta victoria certaminis teste apostolo: N. n. coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Cur ergo non ait, Beatus homo, qui certamine vincit, & triumphat, sed tantum, qui vigilat, quia in ipsa sedula vigilia consistit victoria & triumphus, quae tam sublimis est, ut nos existentes in terra, per ipsam assimilamur Angelis in Coelo, qui dicuntur vigiles. aniel. 4. n. 14. In sententia vigiliam decretum est. Clemens Alexandrinus lib. 2. pedag. cap. 9. ait: Beati qui in ipsum invigilant se ipsos assimilantes Angelis, quos nos Angelos, hoc est vigilantes vocamus.

QUAESTIO XI.

Quare Moyses, & Samuel ostendunt suam puritatem in eo, quod nihil de animalibus acceperint Paulus vero, quod nullius aurum, & argentum concupierit?

98. Moyses ostendit suam puritatem, ac integritatem in contemnendis muneribus loquens cum deo ait: Tu scis, quod neque asellum unquam ab eis acceperim Numer. 16. n. 15. & Samuel coram omni populi multitudine ait: Loquimini ad me coram Domino, & coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum, & c. Reg. 12. n. 3. Aliter vero noster Apostolus, Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi. Illi non receperunt de animalibus; at noster Apostolus, ut excellentior, & perfectior, nec concupivit, sed ut gratis accepit dona Ecclesiastica praedicandi, docendi, administrandi, gratis dabat quod magnum est documentum omnibus Ecclesiasticis, ac praedicatoribus.

99. Ad quaestionem, Moyses, & Samuel ostendunt suam innocentiam, quod nihil de animalibus, boves, atque asinis tulerit; at Paulus haec praeterit,

& solum de contemptu auri, & argenti loquitur; Valde vehemens, & efficacissimus est pecuniarum affectus, quas homo in sinu suo secum asportat, qui autem ab illis se liber ostentat in magnis suam probat innocentiam; & cum Paulus esset multo perfectior moyses, & Samuele celsitudinem sui animi ostendit in contemptu illius, quod magis homines attrahit.

Mandat suis Apostolis Christus dominus Matth. 10. n. 9. Nolite possidere aurum, & argentum, neque pecunias. Cur haec solum prohibentur, cur non etiam greges, & armenta boum, & ovium? Christus Dominus informabat suos discipulos in omni perfectione, & virtute, & haec tota consistit, in auri, & argenti contemptu; Nam boves, & armenta degunt separata ab homine per campos, & deficiunt, & pereunt; at aurum, & argentum semper homo asportat secum, sive dormiens, sive vigilans, & ideo magno affectu in anima invisceratur Cardinalis Hugo: Nolite possidere aurum, & argentum, heu hodie nihil aliud homines quaerunt.

De Sancto Iob. 1. n. 3. dicitur. Erat vir ille magnus inter omnes Orientales, ut exprimitur in textu, in possessione ovium, boum, Camelorum, sed quomodo inter tot divitias firma ejus virtus stabat. Cum Christus dominus dicat Matth. 19. n. 24. Facilius est Camelum per foramen acus intrare, quam divitem introire in Regnum Caelorum Iob habebat oves, & boves, quae sunt necessaria ad humanam vitam sustentandam, at non habebat aurum, & argentum ad reponendum in thesauris, quod est venenum virtutis fomentum ambitionis, stimulus cupiditatis magis acquirendi, ac amplius multiplicandi, Pulchre D. Chrysofostomus in Catena graeca ait: Vide hominem agrestibus divitiis affluentem, oves & boves, & quae ex anni temporibus, & agricultura percipiuntur recensuit scripturas. Non auri, neque argenti thesauros meminit, neque lapidum pretiosorum, quibus hominum divitiis inbiantium moribus inflammantur, sed illa numerat quae ad vitam necessitatem sunt accommodata. Scriptura solum numerat, quae erant convenientia ad vitam, non vero ea, quae inflammabant cupiditatem, ut aurum & argentum.

QUAESTIO XII.

Quare dum Samuel suam testificatur innocentiam Caelum dat signum, non vero cum Paulus candam demonstrat?

Cum Samuel ostenderet suam innocentiam, & quod semper fuerit alienus ab omni munere accepto, quod nec bovem, nec asinum alicui tulerit in confirmationem illius veritatis dat deus signum de Coelo. Facta sunt tonitrua, & pluvia, cum esset aestivo tempore: Dedit Dominus voces & pluvias illa die. Reg. 12. n. 18. at vero modo cum Paulus ostendit suam eximiam puritatem vers. 33. quod nec aurum, nec argentum, nec alicujus vestem concupierit, & tunc Coelum nullum dat signum, hujus diversitatis causam inquirat questio.

Respondeo primo, Samuel in confirmationem suorum verborum talia promisit signa, & postulat a Domino, & dixit ad populum: Nunc stat & videte rem grandem, quam facturus est Dominus, & clamavit a: Dominum, citato cap. 12. n. 16. & 18. Apostolus certus de sua veritate, atque auctoritate erga Populum nil tale promisit, nec postulat.

Secundo

104. Secundo D. Paulus licet valde magnus nullorum bonorum Republicae habuit administrationem, at Samuel totius regni extitit supremus iudex, & gubernator, omnia communia bona sub illius potestate subiacebant, illa expendebat, atque administrabat, at quod homo communium bonorum minister, & dispensator; & nihil sibi usurpaverit, ut credatur, necesse est, ut fiant miracula, caelumque signa ostentent Insurgunt contra Moysen, & Aaron Dathan, & Abiron, eos arguentes tamquam totius populi regimen usurpantes clamat, Moyses Tu scis Domine, quod nec fratrem unquam acceperim ab eis. numer. 16. num. 15. in cuius confirmationem fecit Deus rem valde mirabilem nunquam visam, ut detrectatores de puritate Moysis terra aperiret os suum, & vivos deglutiret in infernum. Ibidem. n. 32 ut ita fieret certum, & evidens quod Moyses totius populi gubernator, Nec asellum nunquam recepit, quod ut persuasum esset re mirabili testificatum est.

105. Tertio dicam cum D. Chrysofostomus homil. 2. de laudibus Pauli, ubi, appellat Paulum magnum orbis miraculum ipse per se tamquam magnum miraculum sua dicta verbo suaque auctoritate confirmabat, omnesque suos ad versarios suffocabat. Videntes pharisei Christi opera, ac magnalia, Pharisei dixerunt ad semetipsos, videre, quia nihil proficimus, ecce totus mundus post eum abiit. Joan. 12. n. 19. Tam notoria, & evidens erat excellentia operum Christi, ut ipsemet adversarii inter se mutuo fateantur, quod contra illa nihil poterant efficere, cum à toto mundo recognosceretur, ut ipsum adorarent, ac venerarent. Euthymius ait, Maxime suffocabant Judaeos persuasum esse turbam, quod Jesus à Deo veniret. tanta est vis, & efficacia veritatis.

106. Acto. 20. n. 35. Omnia ostendi vobis quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse Verbi Domini Jesu; quoniam ipse dixit. Beatius est magis dare, quam accipere.

CUM EXPOSITIONE VIII. Usque ad Vers. 38.

106. Vers. 35. Omnia ostendi vobis, verbis nempe & exemplis, Sic laborantes oportet suscipere infirmos. Syriac. Curam habere de infirmis Aethiopic. Quia sic oportet nos in labore nostro, in opere nostro suscipiamus infirmos. Oportet nos, & decet, ut nos laborantes, sicut & ego manibus meis laboravi, suscipere, & adjuvare infirmos, nempe novos in fide, ut ipsi videant, & agnoscant, quod non ideo eos aduximus ad fidem, ut ex eorum rebus vivamus, sed potius nostro labore eis adjuvamus, & necessaria praestare, & quod non sua, sed eorum salutem quaerimus.

107. Quoniam ipse dixit. Hoc non habetur scriptum in Evangelio, sed sicut ait Joan. 21. n. 22. Multa alia, quae fecit Jesus, quae non sunt scripta in libro hoc, sicut omnia opera Christi non sunt scripta sic etiam omnia ejus verba scripta non habentur. hoc autem dictum fuisse à Christo domino agnovit Paulus per revelationem ad Galat. 1. n. 12.

108. Vers. 36. Positis genibus suis oravit, Aethiopicus Adoravit, & oravit, flexis genibus orare habebat pro consuetudine, & sic fecit cap. sequenti n. 5. & sic oravit Stephanus, & indicat magnum affectum

orantis; oravit autem pro conversione fidelium, ac eorum perseverantia, & constantia. Vers. 37. Magnus autem factus est Syriacus Obortus est Aethiopic. Multum steterunt omnes ex amore, quo intime illum prosequerantur, procumbentes super collum Pauli in signum eximii amoris, ac benevolentiae, ut fecit Elias erga nostrum parentem. Reg. 29. n. 20. sic parentes Saræ cum eam dimississet cum viro suo tobia Juniore cap. 10. n. 12 de quo multa congerit Lyphius lib. 2. in elect. cap. 6. de vers. 18. dicam q. 14.

QUAESTIO XIII.

Quare dicitur, quod melius est dare, quam accipere?

Seu, ut habet Syriac. Melior est, qui dat, quam qui accipit. Primo qui dat ostendit se multis abundare, in multisque esse potentem, qui accipit illorum se ostendit indigum. Secundo qui dat ostendit se liberalem, & divina charitate plenum. Qui non clausit viscera sua fratribus. 1. Joan. 3. n. 17. Qui vero accipit necessitatem ostendit. Tertio qui dat, & beneficus est, obligat, qui vero accipit manet obligatus & adstrictus suo benefactori D. Hieronymus ad Nepot. Beneficium qui accipit, libertatem vendit. Quarto, qui dat quid temporale exhibet & magnum meritum, ac donum spirituale comparat coram deo. Vide verbo Beneficium at vero accipiens accipit tantum quid temporale. Quinto dare, est quid magnificum, & regale, accipere vile, & humile. Sexto per beneficentiam dum homo dat, & largitur, imitatur homo ipsum Deum: Qui dat omnibus affluenter; & non improbat.

Nec ex hoc fiat aliquod argumentum contra Religiosos mendicantes, qui mendicando, & petendo eleemosynam vivunt; hoc enim provenit ex heretica, & alta virtute charitatis, qua ob amorem Dei omnia temporalia propria voluntate contemunt & more Apostolorum, Relinquimus omnia, & sequentes aequi sumus te. Matt. 19, ut in omnibus Christum Dominum imitentur, & ad illius normam vitam suam componant; De Christo Domino ait Paulus 2. Corinth. 8. n. 9. Propter nos egenus factus est cum esset dives sive enim ille cum esset dives in omnibus propter nos egenus factus est, non sequentes ejus vestigia secundum nostram tenuitatem, ut considerant D. Chrysofostomus, Beda, & alii omnia nostra abiecerimus, & egeni facti sumus, non necessitate, sed voluntaria charitate, & solum deum quaerentes.

Ait Chrystus dominus Matth. 6. n. 3. Beati pauperes spiritu, & quos pauperes dixit Beatos, illos nempe; qui spretis omnibus mundialibus solum Deum quaerunt, in quo sunt omnia. Guericus Abbas serm. 1. in festivitate omnium sanctorum ait: Plane Beati, qui projectis vilibus sed gravibus sarcinis hujus mundi nolunt divites fieri, nisi de solo Creatore mundi.

Job in summa omnium rerum devastatione positus cap. 1. n. 11. Scidit vestimenta sua, & conso capite corruens in terram adoravit, & cur magnus vir non servat vestimenta sua, cum ex eis potuisset emere aliquid pro redimenda sua necessitate, quia vestimenta viri tam potētis non debebant esse vilia; Cur ergo vult ea perdere. Bene sciebat vis sanctus, quod Deus omnia illius dederat in potestatem diaboli, Dixit dominus ad Sathan, ecce universa



universa, quae habet in manu tua sunt. Quod agnos- cens Jacob velles statim a se projicit, & a malo nihil voluit habere, sed solum data a creatore vult retinere, & secum possidere. Origines lib. 1. in Job sic ait, Adhuc vestimenta sua confudit ob hoc, quia ex his, quae Diabolo data sunt, apud se nil retinere voluit.

QUESTIO XIV.

Quare in discessu Pauli tantus erat omnium fletus?

114. Cum Paulus discederet, magnus omnium fletus factus est, flebant sane, quia agnoscebant, quantum bonum percipiebant ex ejus praesentia, qua tanquam radiis solaribus illuminabantur, & tanquam compedibus è malis reprimebantur. Erat Daniel sedens in medio Leonum. Daniel. 14. n. 39. Unde illi tanta securitas, ac animus placatus inter ferocissimos, ac voraces Leones; Theodoret. ferm. 8. de provident. Daniel. ait, Leones pietatis radiis terruit, ac divinae imaginis lineamentis, seu frænis quibusdam rabida illorum ora constrinxit. Daniel sua pietate, ac probitate tanquam quibusdam radiis, ac delineamentis Divinitatis Leones mitescibat, & quibusdam frænis comprimebat, quod potiori jure dicam ego de Magno Paulo, qui sua praesentia tanquam radiis illuminabat, ut omnes deposita Leonina ferocitate fierent oves, & velut quibusdam frænis praesentia sua à vitiiis, ac peccatis reprimebantur.

115. At contra ex absentia Domini, & magistrum multam anam arripiunt servi, & discipuli ad licentiosè vivendum, multaque mala perpetranda, Servo illi nequam dixit in corde suo, moram fac et Dominus venire, & coeperit percutere servos, & ancillas, edere, & bibere, inebriari. Matth. 24. n. 49. Luc. 12. n. 45. Unde huic servo occasio in tantam insolentiam se praecipitando, ut alios servos, & ancillas flagellis verberet, & sibi laudatam, & splendidam mensam multa ciborum varietate, optimo viro conditam sibi praearet, atque apponat; Viderat quod Dominus profectus erat in Regionem longinquam. D. Hieronymus, ait in Matth. De absentia Domini securior factus, vacat epulis, ablata Domini praesentia ostium apertum ad omne malum.

116. Scribit d. Lucas 10. n. 1: Designavit Dominus alios septuaginta duos & misit eos ante faciem suam in omnem Civitatem, & locum, quo erat ipse venturus. Non enim misit absolute eos in omnem Civitatem & locum sed determinate in illum, quo erat ipse venturus. Cajet. ait. Ad restè exequendum injunctum officium; scientes enim discipuli, quod subsequeretur Magister, cogebantur omni cura injuncta exequi. Non torpet animus, nec languet manus hominum in obsequium, si adest spes dominum citò ad futurum, ut cuncta videat, examinet, & unicuique pro ratione suorum operum retribuatur.

CAPUT XXI.

1. Cum autem factum esset, ut navigarem abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum, & inde Pataram. 2. Et cum invenissemus navem transfractantem in Phœnicem ascendentes navigavimus.

Daniel. Theod.

Præsentia praelati omnia profectum

Math. 24. Luc. 12. Absentia Domini licentios servis.

D. Hier.

3. Cum apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam, & venimus Tyrum; ibi enim navis expositura erat onus.

4. Invenitis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem, qui Paulo dicebant per spiritum ne ascenderet Ierosolymam.

5. Et expletis diebus profecti ibamus, deducen- tibus nos hominibus cum uxoribus, & filiis usque foras Civitatem; & positis genibus in litore oravimus.

6. Et cum vale fecissemus invicem, ascendimus navem, illi autem redierunt in sua.

7. Nos vero navigatione expleta à Tyro descendi- mus Ptolemaidem, & salutatis fratribus mansimus die una apud illos.

8. Alia autem die profecti venimus Casaream, & intrantes domum Philippi Evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud eum.

9. Huic autem erant quatuor filiae Virgines prophe- tantes.

10. Et cum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam à Judæa propheta, nomine Agabus.

11. Is cum venisset ad nos tulit zonam Pauli, & alligans sibi pedes, & manus dixit, Hec dicit Spiritus Sanctus, Virum, cujus est zona hæc, sic alligabunt in Ierosalem Iudæi, & tradent in manus gentium.

12. Quod cum audissemus rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam.

13. Tunc respondit Paulus, & dixit, Quid facitis fletus, & affligentes cor meum? ego enim non solum alligari, sed & mori in Ierosalem paratus sum, propter nomen Domini Iesu.

14. Et cum ei suadere non possemus, quievimus, di- centes, Domini voluntas fiat.

15. Post dies autem istos preparati, ascendebamus in Ierosalem.

16. Venerunt autem, & ex discipulis à Casarea nobiscum, adducentes secum apud quem hospita- remur Mnasonem quendam Cypriam anti- quum discipulum.

17. Et cum venissemus Ierosolymam, libenter excep- perunt nos fratres.

18. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum omnesque collecti sunt seniores.

19. Quos cum salutasset narrabat per singula, quæ Deus fecisset in genibus per ministerium ipsius.

20. At illi cum audissent magnificabant Deum, di- xeruntque ei, Vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes amulato- res sunt legis.

21. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Moysè eorum, qui per gentes sunt, Iudæo- rum, dicens non debere eos circumcideri filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi-

22. Quid ergo est? utique oportet convenire multitu- dinem; audient enim te supervenisse.

23. Hoc ergo fas, quod tibi dicimus; sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se.

24. His assumptis sanctifica te cum illis, & impen- de in illis, ut radant capita; & scient omnes, quia qui de te audierunt, falsa sunt, sed ambulat, & ipse custodiens legem.

25. De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, iudicantes, ut abstineant se ab idolis, immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.

26. Tunc Paulus assumptis viris, postera die purifi- catus cum illis intravit in templum, annun- tians

tians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.

27. Dum autem septem dies consummarentur, hi, qui de Asia erant Iudæi cum vidissent eum in tem- plo concitaverunt omnem populum, & ince- cerunt ei manus, clamantes.

28. Viri Israëlita, adjuvate, hic est homo, qui adver- sus populum, & legem, & locum hunc omnes ubique docent, insuper & Gentiles induxit in templum, & violavit sanctum locum istum.

29. Viderant enim Trophimum Ephesum in Civitate cum ipso, quem estimaverunt quoniam in tem- plum introduxisset Paulus.

30. Commotaque est Civitas tota & facta est con- cursio populi. Et apprehendentes Paulum tra-hebant eum extra templum; & statim clausa sunt janua.

31. Quarentibus autem eum occidere, nuntiatum est tribuno cohortis: Quia tota confunditur Ieru- salem.

32. Qui statim assumptis militibus, & centurioni- bus, decurrit ad illos. Quia cum vidissent tri-

bunum, & milites cessaverunt percutere Pau- lam.

33. Tunc accedens tribunus apprehendit eum, & ius- sit eum alligari catenis duabus, & interrogaba- bat quis esset, & quid fecisset.

34. Alii autem aliud clamant in turba, & cum non posset certum cognoscere præ tumultu iussit duci eum in Castra.

35. Et cum venisset ad gradus conigit ut portaretur à militibus propter vim populi.

36. Sequebatur enim multitudo populi clamans, Tol- le eum.

37. Et cum cœpisset induci in castra Paulus, dicit tribuno, Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: græcè nosti?

38. Et dixit ad eum Paulus, Ego homo sum quidem Iudæus à Tarsò Cilicia, non ignota Civitatis municeps.

39. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.

40. Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem & magno silentio factò, alloquutus est lingua Hebræa, dicens,

ARGUMENTUM.

Paulus navigio venit Coum, & peragratis multis locis venit Casaream, ubi Agabus ei prædicit vincula Ierosolymis, quo non obstante, generosè in illam tendit, persuadente Jacobo purificatur in templo, à Iudæis capitur, & penè occiditur à Tri- bunò eripitur, qui multa verba fecit.

Act. 21. num. 1. Cum autem factum esset, ut navigarem, abstracti ab eis recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum & inde Pataram.

Versiones.

CUM EXPOSITIONE I. à Vers. 1. usque ad 9.

1. Cum factum esset, Oecumen, Cum conti- gisset, quod scilicet nos, abstracti ab eis. D. Chryso- st. Arias, Avulsi ab eis, scilicet Ephesinis, Avulsi significat multa vi, ac violentia separati tanquam à filiis charissimis: Venimus Coum, Athiopic, Cursu venimus significatur magna velocitate, ac diligentia, qua se Paulus habe- bat in negotio animarum. Coum, Rhodus, Patara quæ loca sint, explicabo quæstione sequenti, sicut & Phœnicis, de qua agitur vers. 2.

2. Vers. 3. Cum apparuissemus autem Cypro. Vatablus: Cum cœpisset nobis apparere Cypro. Athiopic, Cum aspeximus Cyprium, & inde declinavimus ad partem Syriæ, & venimus in Tyrum Civitatem.

3. Vers. 4. Invenitis autem discipulis, scilicet Chris- tianis, ac discipulis doctrinæ Pauli; mansimus ibi diebus septem rogantibus discipulis permittit ad eorum consolationem, qui Paulo dicebant per spi- ritum ne ascenderet Ierosolymam. Dicebat spiritu Prophetico, quo agnoverant Paulum Ierosolymis magnam persecutionem esse passurum; Tunc ipsi proprio spiritu, affectu, ac amore suadebant, ac de- precabantur eum ne ascenderet, & sic nulla est contradictio, ex spiritu divino cognoscebant per- sequutionem, & ex proprio spiritu conabantur eum avertere.

4. Vers. 5. Expletis diebus septem, profecti sumus,

& Discipuli cum uxoribus, & filiis comitati sunt fo- ras extra Civitatem, & positis genibus in litore ora- vimus, ut jam superiori cap. vers. 36. explicavi.

Vers. 6. Et cum vale fecissemus Syriac. Et osculati sumus alii alios, quod fiebat in signum amoris, & benevolentiae in ultimo discessu, ut dixi superiori cap. vers. 37. Illi autem redierunt in sua, scilicet do- mos suas.

Vers. 7. Nos vero navigatione expleta à Tyro, ut explicat Lyran, deposita, & preparata discedi- mus Ptolemaidem. Syriacus, Venimus ad Acon sic olim dicta judic. 1. n. 3. 1. postea amplificata à Pto- lomeo Rege Ægypti dicta est Ptolemaide, est in finibus Tribus Azer, distat à Tyro triginta duobus milliariibus.

Vers. 8. Altera die Syriac, Postridie: Venimus Casaream Palestinæ Civitatem, quæ ut jam dixi antiquitus appellabatur Turris Stratonis, postea eam Herodes appellavit Casaream in gratiam Casaris.

Intrantes domum Philippi Evangelistæ. Athiopic, Egressi sumus omnes, qui eramus cum Paulo, iste Philippus erat unus ex septem Diaconis supra c. 6. n. 5. in domum, quam, ut existimo, non tam- quam propriam habebat, iste enim Philippus unus erat ex magnis fidelibus in illa primitiva Ecclesia, & ideo ab Apostolis electus est inter septem Dia- conos, proindeque cum aliis fidelibus omnia re- nuntiavit, & tradidit ad pedes Apostolorum; ta- men quamvis illi primitivi Christiani, venderent prædia, & omnia, tamen cum tunc non essent ad- huc cœnobita, aliquas domos retinebant ad fre- quentationem Sacramentorum, ac ad spiritualium exercitium.

Evangelistæ, non quia ipse fuisset Scriptor Evan- gelii sed quia erat illius illustrissimus minister, ac prædicator, & ideo inter ceteros electus est ab Spi- ritu Sancto ad prædicandum, ac illuminandū Eu- nuchum

Nulla contradi- ctio.

Retine- bant domos ad spirita-

9.